



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

10. Fossiles pisces à Seneca non recte esse nagatos.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Seneca tamen hæc, ut fabulosa, videtur ridere, dum scribit: *Multa tibi, hoc loco, in mentem venere, quæ urbanè, in re incredibili, fabuloseq; dicas: Non cum retibus aliquem, aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Expecto, ut aliquis in mari venetur. Quid est autem, quare pisces in terram non transeant, si nos maria transimus? Permutabimus sedes. Sunt & argumenta, quæ pisces hos collunt è medio, ut non nemo arbitratur.*

1. *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?*
 2. *Cum nullum animal extra suum viuere possit elementum, ad longiusculum tempus, quomodo illi pisces naturam suam exuant, ut extra aquas vivant?* 3. *Quia credibile est, pisces respirare, quæ via aer ad eos ingreditur, ut eos refrigeret?* Responderi potest, Senecæ rem hanc incredibilem fuisse visam & fabulosam, alijs autem compluribus veram. Vni neganti centum testes opponuntur, cui credas? Quin & ipsum Senecam Senecæ obijcio, qui si non fossiles, saltem subterraneos pisces reperiri ipse affirmat. Sed, ut ad propositum reuertar, ait, *accipe argumentum, magnam vim aquarum in subterraneis loculis fertilem sædo situ piscium. Si quando erumpit, affert secum immensam animalium turbam, horridam aspicere, ac turpem, ac noxiam gustu. Certè cum in Caria, circa Myndum urbem talis exilisset vnda, perière, quicumque illos ederant pisces, quos ignoto, ante eum diem, calo nonus annis ostendit. Nec id mirum, erant enim pingua, & differa, ut ex longo otio corpora; ceterùm inexcitata, & in tenebris saginata, & lucis expertia, ex qua salubritas ducitur. Quid si hæc sub terris vnda fuisset exsiccata, nonnè pisces inibi vel viui, vel mortui mansissent?*

Nam ut allatis rationibus satisfiat, si 1. quæritur: *Quo pacto pisces ibi generentur, vel eò per terras penetrent?* Ex illo ipso vel Aristotelis, vel Theophrasti libello de mirandis audicionibus responsum accipimus; ait enim. *Circa Liguriam, in Mastiliensium agro stagnum quoddam reperiri afferunt, quod ebullire, ac aquas superfundere aiunt, tantamq; piscium copiam eicere, ut nec credere dignum sit. Cum vcrò Etesia efflant, terræ puluerem super se obducit, eumq; talem illic procreat, ut superficiem eius, ceu solum, firmet. Ceterùm indigena tridente id interrumpunt, & quotquot*

O o o o

pisces

X.

Senec. Natural. qq. lib. 3. c. 17.

Franc Ferd. de Corduba in Didacal. cap. xi.

Senec. Nat. qq. l. 3. c. 19.

XI.

Aristot. lib. de admirand. audit. c. 87.